



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Die 2. S. Franciscus de Paula

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

A P R I L I S.

Festum S. Francisci de Paula
Ordinis Minimorum Fundatoris
charitate ardentissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! qui nescit amare, veniat ad S.
Franciscum de Paula. Cui non alia
tessera, quàm: *Charitas*. Hæc si in
mundo regnaret, tanta non foret mise-
ria, nec inquietudo, ac turbatio tanta.
Liberi ut simus utraque, S. Franciscum
induamus, solum Deum diligamus, &
proximo subveniamus. Est alter ego.
Qui non diligit, manet in morte.

Instructio meritoria.

Omnibus pauperibus, vel aliquid ali-
ud nobis petentibus verba saltem tri-
buamus benevola. Et ut coelum pro-
videat indigentibus, 33. *Pater & Ave*
oremus. Bonum Patrem habemus:
sursum oculi! beatus, qui intelligit su-
per egenum, & pauperem; in die ma-
la liberabit eum Dominus.

II.

NOvam, eamque durissimam exco-
gitavit vivendi rationem, quam &
ipse S. Franciscus longioribus jejniis
servavit rigidissime, memor, non cibis,
sed virtutibus implendam esse animam.
Fili! nondum gustavimus fel Christo
Jesu in Cruce sitienti propinatum: nam
plus æquò sequimur appetitum. Pau-
cis contenta est natura: ut quid one-
ramus?

Instructio meritoria.

Ab omni cibo aliquid relinqua-
mus, vel amore pauperum, vel amore
virtutum temperantiæ, & sobrieta-
tis. Has ut sibi implantent solide viri
religiosi, *hodiernum sacrum* cum Com-
munionem spirituali offeramus. Cibabit
Jesus sanguine, qui alterum refecerit
amore fraterno.

III.

PRæceptum D. Francisci erat: *filio-
li! qui major est in nobis, fiat sicut
minimus.* In humili crescit anima, au-
getur gratia, acquiritur gloria; bene
Eucherius: *vanitatem magis fuge,
quan-*